UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annus Cisterciensis

In quo Pia, Et Brevi Apostrophe proponuntur Veneranda, & Imitanda Gesta præcipua, & eximiæ Virtutes Sanctorum ac Beatorum utriusque sexûs Ejusdem Sacri, Et Ab Origine Sua Exempti Ordinis

Meglinger, Joseph

[S.l.], Anno MDCLXXXII.

6. Junij. 8. Idus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45295

Visual Library

6. *Junij*. 8. *Idus*.

Obijt anno 1466.

B. GUNDISALVE, Præſul pijſſime monaſterij Azebeyri in Gallæcia: qui vitæ ſanctimoniâ tot virtutum tuarum præcones meritus es; ut, cùm hominum linguæ ad eas celebrandas non

Sono campanarum excipitur intrans cœnobium.

ſufficerent, ære campano cęlum acclamaverit. Nam quotieſcunque ex agro ad cœnobium revertebaris; æneæ illæ linguæ, nulla vi humana compulſæ, inſonabant. His poſt obitum tuum tacentibus, alij ſucceſſerunt encomiaſtes, continua miracula, quæ in hodiernum uſque diem ad ſepulchrum tuum ſpectantur. *Sonet etiam in meis auribus as*

Noviſſima Tuba.

illud terribile, quod mortales univerſus excitabit è ſomno, cùm noviſſimam tubam Magnæ diei præcurſor Angelus inflabit. Diſcam nunc illam timere, ut ſinè timore tunc audiam.

Floruit anno 1129.

B. WALTERE de Monte mirabili: qui in Campania claris genere majoribus ortus, unà cum paris ſtudij, ætatis, & ſtemmatis cohorte, in Claravalle divertiſti; ut Virum illum miraculorum (*ſic ibat fama per orbem*) BERNARDUM coràm intueri liceret. Et cùm is à vobis diſceſſuris pereret, ut in gratiam

gratiam ſui ludicras Bacchanalium inſanias miſſas faceretis, ferociter abnuiſtis. Rogabat deinde, ut ſaltem poculum cereviſiæ humanitatis ergo admitteretis. Bibiſtis quidem omnes, ſed non ſinè metu, ne cœleſti aliquo philtro vaſculum impleviſſet: præſertim poſtquam audiviſtis, *Poculũ ſalutis* vobis propinari. Nec vanum fuiſſe metum ea mox hora aperuit. Quâ ad unum omnes ad Claramvallem reverſi; non tantùm paucorum, quos mellifluus Pater petierat, dierum, ſed omni deinceps abjuratâ mundi inſaniâ, in magna ſanctitare ad æternæ gloriæ metam (feliciùs; quàm in ludo haſtico) cucurriſtis. *Reliquit & aliud ſalutis poculum poſteritati Bernardus, melle plenum, melliflua nimirum ſcripta: ſed rari ſunt, qui ſuam inde ſalutem hauriant: primoribus tantùm labris guſtamus, ſaporem laudamus: aliter ſanè victuri, ſi aliter biberemus.*

Poculũ ſalutis à S. Bernardo accipit: celeri effectu.

Scripta Bernardi, ſunt poculũ mellis.

B. JOSEPH à S. Germano: qui ante Religionis ingreſſum, Romæ ob inſignem doctrinam cum pietate conjunctam, in ſumma exiſtimatione verſabaris. Anhelanti ad pretioſum Obedientiæ meritum, placuit præ alijs ſacris Ordinibus, Congregatio Fulienſium: in quam receptus, quòd paucos

Obijt circa annum 1608.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

annos ſupervixeris, ſevera carnis maceratio in cauſa fuit. Sed te adeò properaviſſe ad mortem, nemo mirabitur, qui quotidianos raptus, per quos beatorum in cœlo gaudijs intereras, conſideraverit. *Agnoſcat etiam anima mea, ſe cœlo natam: patriam ſuam frequenter in pia meditatione inviſere gaudeat: nec ſe ad cœnum terrenarum vanitatum ſtolidè amens coudemnet.*

Cœlum patria animæ.

S. BERNARDUS, ſer. 52. in Cant.

Vera de concupiſcentijs victoria.

Tranſſilîſti carnis oblectamenta, ut minimè jam obedias concupiſcentijs ejus, nec tenearis illecebris? Profeciſti: ſeparâſti te; ſed nondum elongâſti: niſi & irruentia undiq; phantaſmata corporearum ſimilitudinum tranſvolare mentis puritate prævaleas.

7. Junij. 7. Idus.

Obijt anno 1159.

S. ROBERTE, qui ex cœnobio Fontanenſi in Anglia, ad condendum Neomonaſterium aſſumptus, gemino amoris funiculo, quorum alter in puritatem